



Q. D. B. V.

DE

DIFFERENTIA  
MEDICI ET PRA-  
CTICI MEDICINÆ,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO CAROLO,  
BORUSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRANDEN-  
BURGICO, RELIQUA,

PRÆSIDE

FRIDERICO HOFFMANNO,  
COLLEGII MEDICI h. t. DECANO,

PRO DOCTORIS GRADU,

publice disputabit,

PHILIPP. WILHELM. WILMERDING,  
BRUNSVICENSIS.

Ad diem Aprilis, M DCC XVI.

H. L. Q. C.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

DIFFERENTIA  
MEDICI ET PRAE  
CTICI MEDICINAE

DOMINUS CAROLO

KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZVHALLE

Na 1683

PHILIPPO WILHELMO WILMERDING

PRO DOCTORIS GRADU

PHILIPPO WILHELMO WILMERDING

1783

Typis ...







DISSERTATIO SOLENNIS  
DE  
DIFFERENTIA MEDICI  
ET MEDICINÆ PRACTICI

§. I.



**S**apienter non minus  
ac perite magnus ille naturæ con-  
sultus Hippocrates Lib. de vet. med.  
§. 2. prodidit : Sunt ex iis, qui me-  
dicinæ operantur, alii viles, alii lon-  
ge præstantes : quod sane non esset, si  
neque medicina, neque in ipsa obser-  
vationes essent, neque quicquam inventorum exstaret; sed  
omnes equaliter ejus ignari & inexperti essent, & per for-  
tunam omnes aegrotorum res gubernarentur. Nunc vero res  
non sic se habet, sed, quemadmodum aliarum artium opifices  
multum inter se differunt, tum manu, tum mente; sic etiam  
in medicina. Quibus verbis longe gravissimus auctor  
noster, more suo, scitissime inter præstantem medicum  
& inter eum, qui vulgari & vili modo opus artis exercet,  
distinguit, utriusque exquisitas notas apponendo, siqui-  
dem præstantibus & peritis medicis illud adscribit, quod  
me-

A 2

me-

medicina sit ars, quod in illa observationes dentur, quod  
 nova inveniantur & obscura detegantur; viles autem,  
 medicinæ ignaros & inexpertos & quorum res meden-  
 di per fortunam gubernentur, denominat. Non inepte  
 divinus noster Auctor fortunam certitudini opponit;  
 nam *libr. de loc. in hom.* hanc rem dilucide hunc in mo-  
 dum §. 58. explicat: *constans ac firma est optima medicina*  
*& doctrina optimè in ea composita & fortuna non eget, nam*  
*fortuna sui juris est & nullius imperio subest, neque ex voto*  
*ad ipsam pervenimus: scientia vero imperat & cogit facere*  
*& ipsam feliciter assequi facile est, si quis sciens ea uti velit.*  
*Nam si medicamenta clara sunt & manifesta, non expectant*  
*fortunam ad sanandos morbos.* Et hæc est ratio, quare  
 idem auctor *l.c. de vet. med. §. 2.* ita concludat: *quapro-*  
*pter non ego censeo, medicinam inani fundamento indigere*  
*velut ea, quæ sunt obscura & dubia, ex quibus omnibus in-*  
*telligitur, vero medico pleraque, si non omnia, in arte*  
*nostra esse firma, certa; vili vero & minus præstanti me-*  
*dico omnia dubia, fallacia, inexperta: neque ipsum ali-*  
*quid invenire vel solidas observationes concinnare pos-*  
*se, sed omnes ejus curationes fortuna egere.*

## §. II.

Enimvero, tametsi res sit clarissima & omnibus  
 manifesta, dari etiam in arte nostra salutari, sicuti in ce-  
 teris artibus, præstantia ac utilitate longe inferioribus, ar-  
 tifices multum inter se differentes & scientia & judicii  
 acrimonia superiores: attamen non satis demirandum  
 est, quod mortalium genus nunquam in aliis artis ope-  
 ribus tam levis ingenii, ignorantes, quin imò nefandos  
 homines & ad nocendum faciles ac promptos admittat,  
 quam

quam in medicina, quæ ex concordî sententiâ reliquas artes longissime exsuperat, eo, quod pretiosissimam vitam ac sanitatem respiciat. Etenim in illiberalibus artibus optimos artifices à minus præstantibus homines facile distinguunt, & ne detrimentum adferatur, sibi cavent; in artium vero excellentissima & difficillima minus cautè se gerunt, sed cuicumque etiam medicum professo statim credunt ac fidunt & pretiosissimum vitæ ac sanitatis thesaurum ipsis curandum committunt. Et quamvis impuri & pessimi illi hominum nesciant, quid sit medicina, quid faciendum vel omittendum sit, imo audacter multos trucidant: nihilominus illi, quibus resistendi hisce malis potestas esset, hanc publicam calamitatem, hanc pestem hominum, hæc scelera libere & impune ferunt, eo maxime, quod, uti *Hippocr. Lib. de lege* scribit, nulla pœna imperitis in rebus publicis statuta sit, præterquam ignominia. At vero videtur hæc summa miseria & cæcitas generi humano, inter alia, pœnæ loco a justissimo numine reservata.

## §. III.

Verum enimvero, quum hæc omnia sint verissima, ut nulla egeant dubitatione; hinc quoque minime jam nostri erit instituti hanc rem, quæ omnibus in confesso est, operosius hoc loco exsequi; sed hæc maxime meditationis nostræ summa & tractationis scopus erit, ut non cum miseris agyrtis & empiricis rem habere velimus, sed cum doctis, qui medici famam & nomen habent, re vero & opere non sunt. Ingens enim discrimen esse statuimus inter excellentem medicum & inter eum, qui medicinam facit vel exercet, licet non sit

prorsus rudis vel indoctus. Sicuti enim negari nunquam potest, in reliquis professionibus ac scientiis ingens discrimen animadverti: ita etiam in medicina illud observari non alienum videbitur. Neque enim omnes, qui sacrum DEI verbum coram coetu hominum profitentur vel explicant & viam ad æternam salutem monstrare possunt, statim præstantium Theologorum numero accensentur: neque omnes, qui causas in foro agunt vel innocentes defendunt, statim Jure consultorum nomen sibi vindicare possunt. Neque qui mathematica agunt, agros vel turres excelsas dimetiuntur, aut ædificia extruere noverunt, mathematici statim salutandi sunt. Pari modo sese res habet cum medicina, ubi non omnes, qui per vicus & urbes obambulando se fatigant, & morborum curationibus præfunt, statim medici titulum promerentur. Quapropter ab instituti nostri ratione & utilitate scopi non alienum erit, hoc loco clarissime evincere, quamnam ad veri medici nomen obtinendum requirantur, & quam pauci ex iis, qui pro medicis habentur, hoc nomen tueri & sibi vindicare possint. Testor tamen hic solennissime me hac tractatione nemini velle esse injurium, nec medicorum ordinem aliorum contemptui vel opprobrio exponere. Neque illud asserere propositi mei est, practi cum non simul posse esse bonum medicum: sed hæc est mens, hæc sententia mea, quod, ut *Hippocrates in cit. loc.* affirmat, magna sit medicorum differentia, quorum alii præstantes, alii viles sint, quos vulgari practicorum nomine insignire allubescit.

## §. IV.

Ut vero hæc differentia & res ipsa paulo clarior evadat, minus alienum, sed maxime consultum esse judico primo omnium, quid per medicum & quid per medicinæ practicam intelligamus, præmittere. Medicus itaque nobis est, qui recte de morbo, ejus causis, eventu, nec non, quid noxium vel proficuum ad sanandum morbum & ad vitam & sanitatem tuendam sit, judicare potest: practicus vero est is, qui sine recto judicio, sine solida ratione & experientia firma morborum curationes molitur. Hæ definitiones non nominales, sed reales, perspicue medici officium & naturam medicinæ explicant atque declarant & a falso conceptu & fallaci empiria medicinam veram distinguunt. Quisque sanior medicus per facile exinde intelligit, me in medico maxime acre judicium, cujus magna vis planeque divina in rebus cognoscendis & intelligendis est, requirere, ne quis boni rectique specie in ægri perniciem erret atque decipiatur. Multa enim, ut *Duretus in Lib. Hippocr. de humorib. §. 5. pag. 13.* habet, præclare in medicina fieri & apparere videntur ac falso naturæ accepta feruntur, quæ sunt plane symptomata & calamitosa nec judicium, quod experientiæ canon ac regula est, nisi a summis ingeniis, acerrimo studio doctrinaque optima, comparatur. Nam judicii maxima in medicina vis est, sed in quo difficultatis summa residet. Nam quicquid solidi medicus præstare debet vel potest, id certissime omne ad judicium est referendum, ut videlicet bene judicet de ægrotantis natura, de morbi indole, origine ac causis, de symptomatum ratione  
de

de remediorum activitate & postea ex hisce probe perspectis ac cognitis, quid faciendum vel omittendum, quid salubre vel insalubre sit, recte rursus iudicet. Neque enim solum theoria medica, qua corporis sedis affectæ, causarumque morbi & virium remediorum cognitio continetur, medici eximium & plane singulare iudicium exoptulat; sed maxime praxis, quæ in remedia inveniendi eaque debito ordine, tempore, dosi, applicandi prudentia versatur, magnum iudicium exigit. Quid enim aliud est methodus medendi specialis & individualis, quam, quid hoc vel illo in morbo salubre vel insalubre sit, rectum iudicium proferre? Nam si unquam recte natura medicinæ tradita vel explicata fuit, certe a medicorum post *Hippocratem* principe, *Galeno* libr. de præcognit. medic. id factum est, dum medicinam salubriam & insalubriam scientiam definit. Quæ definitio, quo antiquior, eo minus nostris temporibus cognita est, & tamen optima. Summa enim universæ medicinæ est, scire quid ad sanitatem custodiendam, quid ad pellendos morbos huic vel illi corpori, hoc vel illo tempore salubre vel insalubre sit, ne medicus nocent, sed prosit. Igitur, quo quis solidiori iudicio medico instructus est: eo ad medendum aptior existit. Quare *Thuanus*, historicorum sine exemplo maximus, de *Hollerio* pulcherrime scribit, quod assidua meditatione acerrimum iudicium ad medendum attulerit, ut deploratos morbos & ob festinationem ab aliis, per vicos vaga cursitatione mulos fatigantibus, minus cognitos, summa felicitate curaverit.

## §. V.

Quemadmodum vero nemo solidum de quadam

re

re iudicium proferre potest, nisi qui rei naturam probe perspectam & exploratam habet: ita etiam medicus non solide, nec recte de morbi eventu, de medendi, methodo deque remediorum salubritate, sive quid faciendum vel omittendum sit, iudicare poterit; nisi ægrotantis naturam plane perspectam cognitamque habeat, nisi morbi causas veras investigaverit, & vires remediorum, eorumque agendi modum perspexerit. Nam, ut pulchre, more suo, *Celsus* scribit, causæ morbi investigatio ejusque primordia & occasio in affectionis & remediorum cognitionem deducunt amplissimam. Quia vero nec ullus medicorum in veram causarum morbi notitiam penetrare poterit, nisi qui corporis nostri exquisitam habeat cognitionem, & quomodo vita in ipso celebretur ac sanitas perficiatur & quomodo ad eam conservandam cum elementatum alimenta, aliaque conferant ac statum sanum immutent, atque interitum corpori minentur: hinc facile patet, sine accuratiori physicarum rerum per experimenta cognitione; sine chymix, quæ corporum texturam ac vires nobis pandit; sine anatomes, quæ structuram, connexionem & usum partium explicat; sine mechanices, quæ motuum leges, tradit, quibus omnes operationes diriguntur, quæ sunt ac corporibus, exquisitiore cognitione nullum firmum ac certum iudicium circa rerum salubritatem & insalubritatem, quibus auxiliari & succurrere languenti corpori debet, in medico posse existere. Ex quo conficitur, medicinam rem non tam facilem esse & quæ tam paucis annorum spatio addisci possit ac vulgò quidem existimatur.

B

§. VI.

## §. VI.

Longe vero aliter de medicina practici sentiunt, qui, nude experientie inherendo, curationes morborum moliuntur &, quamvis interdum rationes, cur hoc vel illud faciant vel facere debeant, adferant, minus tamen solidæ & veræ sunt, utpote quæ nec probari nec ex certis & perspicuis principiis clare & scientificè demonstrari possunt. Evenit quidem non raro, ut literarum non sint expertes, ut physicam etiã scientiam vel rem anatomicam ac pharmaceuticam intelligant & exactam herbarum quoque cognitionem possideant: nihilominus, cum hæc non ad causas morbi, ad vires remediorum applicent vel applicare didicerint; a vero medicina scopo aberrant & soli experientie fidendo mire fallunt & falluntur. Etenim eorum res in eo tantum agitur, ut, si prosperum remediorum effectum in certo morbo semel atque iterum notaverint, confestim, simili morbo occurrente, eadem remedia propinent; sinistro tamen & infelicissimo sæpius eventu. Rectissime enim, imo verissime magnus noster *Hippocrates* in primo statim *aphorismo Sect. I.* fallacem experientiam pronuntiat. Equidem experientia in se & sua natura minime fallax est, quia dexter vel sinister morbi eventus vel remediorum effectus, quod notatus fuerit, non fallit, attamen in eo & ob id fallax experientia dicitur, quod medicus nimis præcipitanter & incaute faustum vel in faustum, qui remedii usum consequitur, effectum, soli remedio adsignet; nam fallacia causæ, ut causæ, si ulla in disciplina, certe in medicina frequenter committitur, inque eo fundamentum omnis  
empi-



empiricæ curationis requiescit. Siquidem ex hoc consequitur, quod omnis generis homines tam faciles ac prompti sint in morbis ad remedium vel auxilium offerendum & commendandum, prorsus vt precipitantia in iudicando vitium corruptæ nostræ naturæ quasi adnatum videri debeat. Pauci enim sunt, qui de effectu & operatione remediorum recte possunt iudicare, quia veris circumstantiis posthabitis, & neglecta morbi causâ ac indole, neque agrotantis naturâ perspectâ, virtutem & certum effectum observatum confestim remedio assignant, qui longe aliis causis sæpe debetur. Quid enim familiarius est, quam quod, si dolor aut febris, aut immoderatum profluvium, adsumto remedio, minuatur vel sistatur, visam protinus virtutem remediis inesse sibi persuasum habeant? inde fit, vt tantus numerus antifebrilium, antepilepticorum, antihypochondriacorum, alexipharmacorum, stomachicorum, antiphtisicorum & id genus plurimum conficiatur atque celebretur, quæ tamen, alio tempore, in similibus morbis adhibita, spem medentum atque agrotorum validissime eludunt. Ignorant enim hi miseri atque infelices homines, quod nunquam vires quædam effectrices absolute corporibus vel remediis inhæreant, sed omnes limitatâ conditionatâ & relativâ sint. Sicuti enim nullum corpus, ita & remedium nullum, suam vim atque efficaciam, nisi in alio, exferit, quo mutato, & ipsa virtus ac proprietas ut mutetur, necessarium est, nam vires & virium leges mutuis corporum actionibus & reactionibus & æstimari & detegi debent. Quæ de causâ rectissime a veteribus Philosophis pronuntiatum est,

corpora non tantum agere secundum sphaeram activitatis, sed maxime receptivitatis: & ad edendum certum effectum non tantum agens, sed & certam dispositionem subjecti, ad recipiendam actionem idonei, concurrere debere. Quapropter, sicuti nullae res in se & sua natura salubres vel insalubres dici possunt, ita multo minus & alimenta vel medicamenta semper & omni tempore, in hoc vel illo morbo, salubrem vel insalubrem effectum pollicentur. Atque adeo accidit, ut optimi succi cibi, qui sanis vigorem dant, aegrotis detrimentum adferant. Aqua frigida, alias innocentissima, corpori, per motum fortiolem calefacto, ingesta instar veneni jugulat. Cortex famigeratissimus chinae in quibusdam funditus intermittentes, nulla subsequente noxa, extirpat, in aliis vero contumaciorum recidivam vel febre pejorem morbum adfert. Inter mercurialia mercurius dulcis innocentissimus, luis venereae virus in quibusdam potentissime enervat, in aliis vero diurnam & immedicabilem corpori noxam invehit. Venae sectio in continuis febribus, ipsoque variolarum morbo, summa aliquando est medicina, cum tamen in iisdem morbis necem attulisse non semel visa fuerit. Idem medicamentum purgans, eadem dosi, ejusdem aetatis hominibus oblatum, quam dissidentes operationes efficit? Ex hisce perspicuum evadit, virtutem & operationem non tam ex remedio, quam ex corporum diversa conditione, quae mirum inter se, ratione dispositionis & motus partium solidarum ac fluidarum differunt, aestimandam ac deducendam esse. Quare nihil in praxi frequentius occurrit, quam, quod alteri profuit, nocere, neque id tantum

vale

let de medicamentis, sed & alimentis, quare non mirum est, medendi certis morbis viam ac methodum nunquam eandem & perpetuam esse, sed ratione regionum & climatum, anni temporum vel tempestatum præcedentium ingentem in modum variare, aded, ut qua methodo ante annum epidemicæ febres curatæ fuerunt, ea sequenti anno mala fit & minus proficua.

## §. VII.

Ex hisce omnibus miseria & nuditas experientiæ medicæ clarissime detegitur, quod infida & fallax admōdum sit, nisi acre medici iudicium accedat, quod ex diligenti & attenta circumstantiarum observatione & pensatione, non sine magno labore, remediorum vires tandem cognoscit atque distingvit. Et in eo etiam versatur totius medicinæ nervus ac cardo: nam corporum diversitas valde difficilem artem nostram & necessariam efficit & quod existat evincit. Sapienter enim *Hippocrates* *Libr. de prisca medicina* ait: *Nemo ad medicinam investigandam animum applicaturus fuisset, si eadem victus ratio, & agris & sanis accommodata esset* aut, si certa remedia morbis curandis idonea sufficerent, sicuti id vulgus medicorum existimat. Nam profecto medicamenta & alimenta ad nocendum & necandum tam prompta ac parata sunt, quam ad sanandum & juvandum. Medicina itaque est ars, recte utendi remediis, quia ex *Coi* sententia *l.d. arte* §. VI. tum demum juvant ea, quando recte usurpata fuerunt, nocent vero, si non recte & debito tempore fuerunt administrata.

## §. VIII.

In elucidationem hujus rei apprime mihi semper

perplacuit dialogus à sapientissimo Platone notatus, qui  
 „hunc in modum se habet: *Socrates*: Si quis ad patrem  
 „tuum progressus dicat, ego scio talia corporibus adhibe-  
 „re, ut calefaciam, si velim & frigefaciam & si videatur mi-  
 „hi, vomere faciam & si rursus videatur, efficiam ut deor-  
 „sum per alvum fiat ejectio, & alia multa hujusmodi: &  
 „cum hæc sciam, pro medico haberi volo & alium medi-  
 „cum facere posse me jacto, cui harum rerum scientiam  
 „tradidero: quid putas his auditis dicturos esse? *Phædrus*,  
 „quid aliud quam interrogaturos, an insuper etiam sciat  
 „& quibus & quando & in quantum singula hæc facere  
 „oportet? *Socrates*, si igitur dicat, quod nequaquam hæc  
 „sciat, sed oportet eum, qui hæc à me didicit, per se ipsum  
 „facere ea, quæ tu proponis: quid dixerint? *Phædrus*,  
 „dixerint, arbitror, insanit homo & ex libro quodam do-  
 „ctus, aut in medicamenta collapsus, medicum se factum  
 „esse putat, cum nihil in arte sciat. Ecce! quanta dexte-  
 „ritate summus hic philosophorum verum medicum à  
 „vulgari viro, praxin medicam exercente, distingvat,  
 „eo, quod non ars sit velut purgare, æstum febrilem re-  
 „primere, dolores sedare, immoderatum sanguinis pro-  
 „fluvium compescere, somnum conciliare, sicquidem re-  
 „mediis virtus ea efficiendi inest, sed id demum artis ar-  
 „tificisque opus est, scire, quo ordine, qua dosi, quo tem-  
 „pore singula hæc præberi debeant.

## §. IX.

Verum, ut ad scopum nostrum paulo propius ac-  
 cedamus & ut verum medicum ab inexperto & vili di-  
 gnoscamus, opera non indignum censeo, notas quasdam  
characteristicas utriusque hoc loco adferre, quibus  
 vera

vera à falsa & fallaci medicina perquam facile possit distingvi. Primo itaque genuinus artis doctor ex observationibus sive morborum historiis, cum cura, iunctis omnibus circumstantiis, consignatis sapere & proficere, nec non artis incrementa promovere contendit. Nam morborum historiae, quæ & ægri indolem & morbi naturam, mores & progressum ejusque eventum & mutationes, quæ remedium usum consecuta sunt, describunt, omnis scientiæ sive theoriæ medicæ, nec non prudentiæ & praxeos medicæ, sunt verum & præcipuum fundamentum. Ex ejusmodi enim historiis, sedula & attendita meditatione, morbos eorumque originem, primordia, occasiones, & causas addiscimus, eorum quoque sedem & causarum morbificarum pernitiæ effectum, in excitandis symptomatibus, penetramus, & disidentes à se invicem ægritudines apte distingvimus, denique remedium operationes, tam salutare, quam noxias & varios morborum eventus perspiciamus. Quam ob rem scitissime Hippocrates Lib. de decenti ornatu §. 8. hunc in modum scribit: *firma memoria tenero medicamenta & simplices facultates & descriptas, si modo tales extent. Sint & in memoria morborum curationes & eorum modi, quotupliciter & quomodo singuli se habeant: hoc enim principium est in medicina & medium & finis.* Sicut vero historiae morborum omnis certitudinis veritatis & demonstrationis medicæ, item prudentis prognoseos, nec non inventionis methodi medendi sunt primum firmamentum, ita, qui destitutus ipsis est, nec harum copiam possidet vel has insuper habet, is nihil solidi & scire & perficere in medicina poterit. Quot autem sunt ex practicis, qui, in consilium

filium adhibiti, neque in naturam subjecti, neque in morbi mores & causas recte inquirunt, neque ex præscriptis, quale detrimentum vel emolumentum consequutum fuerit, probe annotant, plurimi audito tantum morbo, num febris, num calculus vel passio hypochondriaca aut mensium suppressio adfuerit, mox remedia præscribunt eaque si non juvant, statim mutant & sub varietate & copia remediorum totum morbi decursum conficiunt. Sed profecto illi homines, sub amplissima etiam praxi per centum annos, hac methodo nunquam recte sapient vel medicinam comprehendere poterunt. Nos profecto, publicæ utilitatis causa, vehementer sapius dolemus, quod viri longæ & amplissimæ praxi vacantes, morborum historias negligant, nec observationibus consignandis invigilent, in scriptis vero harum loco vanas & steriles theorias, aut confarcinatas aliorum opiniones, vel observationes mancas ac mutilas recenseant: cum tamen ars nostra salutaris non majora, quam per observationes, præfertim proprias, capere possit incrementa: & contra earum defectus omnis miseriæ ac infelicis praxeos præcipua ac princeps causa sit. Ex hisce jam apparet, quam vere & sapienter *Hippocrates* in libro de *prisca medicina* supra citato præstantibus medicis id adscribat, quod observationes consignent, & quare per has artificem præstantem à vili distingvat.

## §. X.

Secundo loco excellens medicus non modo in colligendis accuratis morborum historiis sedulus ac diligens: sed & iis in laborantium utilitatem, ac fructum opti-

optime uti scit; quod præstatur, cum quis vera theoria tam physica, quam medica instructus est. Per theoriam physicam intelligimus scientiam effectuum, quatenus per vires corporum possibiles sunt: theoria vero medica nobis est scientia, qua quis vitæ, sanitatis, mortis & morborum generationem exquisite novit & quomodo mortis & morborum causæ tollendæ & avertendæ sint, apto ordine ac serie demonstrare potest. Cum vero motus omnium operationum, quæ in rerum natura celebrantur, in corpore nostro æque ac in aliis animatis inanimatisque, præcipua causa ac fons sit: hinc ex motus natura proprietatibus ac legibus, id est, secundum recentiorum loquendi modum, mechanice, omnem mutationem in corpore nostro explicare debet. Igitur perspicaciores nostro tempore ex sanguinis vitali circuitu, qui a constrictionis & dilatationis motu nec non a conveniente fluidorum copia & temperie proficiscitur, item a necessariis excretionibus, & secretionibus, omnium, quæcunque circa sanitatis & vitæ negotium contingunt, mutationum causas clare & dilucide explicant.

## §. XI.

At vero qui vera theoria, ex corporis nostri mechanismo desumpta, instructus est, is quam facile omnia, quæ in morborum historiis occurrunt, difficilia explicabit; abstrusas morborum & symptomatum causas enucleabit & ab remediis adhibitis promanantes vires haud ægre explanare poterit. Causis vero morborum probe prius perspectis & viribus medicamentorum, per multa experimenta præctica, exploratis, facillimum erit

C indi-

indicare cur hæc proficiant vel noceant, & qua methodo ac ordine cura suscipienda sit.

§. XII.

Igitur, quo medicorum theoria magis falsa & erronea est: eo minus idonei sunt ex observationibus, magna solertia conquisitis, multum utilitatis trahere vel ad usum ægrotantium referre. Piget vero & pudet hoc loco omnium & singulorum vanas & ineptas theorias & ad explicandas res in medicina plane incongruas, recensere, ne aliis stomachum aliis vero nauseam moveam: illud saltem quærere allubescit, cui usui atque utilitati in explicandis rerum medicarum causis principia vel plane inexplicabilia vel sensibus & rationi occulta & cum rebus corporeis nullam connexionem habentia inserviant! cujus generis sunt τὸ Θεῖον, anima ratione prædita, archæus, principium motus, natura sapiens & errans, spiritus seu principium vitale, æther amicus vel inimicus, ens astrale, flammula, lucula seu phosphorus vitalis & animalis: quanta nomina auro digniora! quæ nec explicari possunt & nihil explicant. Eiusdem quoque commatis sunt ea principia, ex naturæ quidem sinu penitiori deprompta, partim vero nimis remota, partim etiam minus congrua & in sufficientia, ut morborum femina & fermenta, specifici morborum sâpores & odores, sanguinis abundantia & cacochymia, acidum & alkali, acidum & viscidum, materiæ peccantis specifica acrimonia vel malignitas, bilis intemperata, quæ omnia & singula ad connexionem veræ theoriæ medicæ & explicationem circumstantiarum, quæ in clinicis historiis occurrunt, item ad causas

fas



fas morborum evolvendas & avertendas, nec non ad remedium vel methodi inventionem plane nullius usus ac fructus sunt. Et ut, quæ sentio, libere dicam, omnis theoria, quæ non usui applicari potest & ex qua nihil explicare, detegere vel invenire possumus, pro vana, falsa, fictitia habenda, vel non æstimanda est.

### §. XIII.

Tum inter notas veri & præstantis medici noster Hippocrates in loc. cit. de prisca medic. hanc non infimi ordinis, refert, quod aliquid invenire possit. Restant utique in rerum natura multa abscondita pandenda, effectus de tegendi, restat in medicina, ut ars nostra in perfectæ scientiæ formam redigatur. Quin imo medici, quando novus & insolens incidit morbus, quando regionem vel clima mutat & non ante observatæ ægritudines sub tanta corporum varietate, accidentium multiplicitate occurrunt, non tantum efficaciora atque congrua remedia & eorum compositiones inveniant, sed & faciliorem & opportunam medendi methodum singulis affectibus congruentem excogitent, oportet. Quod præstare illi optime possunt, qui rerum cognitionem sibi vindicant, qui corporum naturalium vires per experimenta physica, mechanica, præctica, chymica perfectas habent: qui omnium mutationum, quæ sunt in corpore nostro, causas exploratas habent, qui principia remedium agendi sciunt, & qui corporis humani intimiorem anatomicam cognitionem possident. Ab ejusmodi vero utilium & necessariorum rerum inventionem plane illi remoti sunt qui solidis scientiis velut

firmitate fulcro, sunt destituti, qui tantum aliorum inhaerent auctoritatibus & nihil, nisi quod didicerunt, rectum putant, nec ad novi quid inveniendum sunt idonei. Nam qui solida rerum physicarum & medicarum theoria carent, & qui non curae cordique observationes habent: ii certe parum vel nihil invenire possunt. Solenne exemplum nobis *Hippocrates* edidit, qui naturae humanae & rerum naturalium, ut ex ejus monumentis videmus, perspicax scrutator & observationum concinnator fuit. Quot utilia inventa in salutarem nostram artem ab ipso pervenerunt? sed cum a Galeni tempore usque ad nostrum seculum plures medici vanis theoriis & rationibus studerent & observationes negligerent, nihil fere incrementi ars Apollinis experta est.

#### §. XIV.

Denique excellentis ingenii medicus facile pervidet, nullas morborum in genere dari curationes, quia causae & circumstantiae mirum differunt, hinc nequitiam ex scriptoribus & libris methodum morbis medendi addiscit, sed ipse suo judicio utitur & ex probe pensitata morbi historia & ex remediorum jam dum viribus perspectis, non modo apta medicamenta, sed & convenientem ea applicandi methodum invenit. Vulgaris vero medicus, quando morbum, paulo insuetis symptomatibus stipatum, curandum suscipit, mox ad libros accurrit & varias hujus affectus curationes evolvit remedia ac methodum ex iis desumpturus, sed raro felici ac auspiciato successu. Nam quemadmodum climata & vivendi genera regionum, in quibus medici scripta edi-

ediderunt, longe multumque inter se differunt, ita etiam sunt diversissimæ curandi viæ, quas ægre in aliis & diversis locis imitari licet. Non jam dicam differre morbos & naturas corporum & morborum causas atque occasiones atque tempora, quæ, uti singularem medendi prudentiam desiderant; sic in dissimilibus casibus non perpetuam curandi normam subministrant. Regionum in medicina maxima habenda est ratio. Sic medici in septentrionalibus viventes medicamenta longè majori dosi exhibere debent, quam qui præcalidas provincias incolunt. Differunt quoque multum, ut *Celsus* loquitur *Lib. de med. p. 8. pro natura locorum genera medicine & aliud opus est Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia.* Populi regionum septentrionalium, qui immobilioris sunt naturæ & rebellibus chronicis morbis magis patent, valentiora ex mineralium regno petita, sic dicta chymica, nec non evacuantia acriora & emetica desiderant eaq; sine noxa ferunt, quibus in Italia, Hispania, Gallia longè tutius est abstinere & ægritudines ibi grassantes debilibus magis & Galenicis medicinis tractare. Medicus itaque verus & sapiens magnum judicio libros legit & exinde non minimum fructum decerpit, quo caret alius, qui medica scientia minus recte imbutus est. In genere etiam hæc notari velim, omnes, qui sacris medicinæ initiandi sunt, lectione multorum librorum, præsertim dogmaticorum & practicum, abstinere debere donec pleniori rerum medicarum scientia & judicandi facultate instructi fuerint. Nam dogmatici, cum varias discrepantes opiniones & hypotheses foveant, lectorem plus confundunt, quam erudiunt. Practici verò, cum non accuratioribus observationibus &

solidae theoriae superstructi sint, legentibus immedicabilem sapiens, ob praedictum, noxam inferunt. Magna igitur semper cum cautione libros medicorum legere oportet.

§. XV.

Non exiguum quoque inter medicum & practicum differentiam in eo animadvertimus, quod hi mirifice aestiment & omnia opera conquirant arcana, specifica, universalia, panaceas & magno amore remediorum ex metallorum regno petitorum ducantur, falsa persuasione invitati, ac si medicamenta dentur, quae certos morbos vi quadam abscondita & peculiari propulsandi gaudeant & quod metallica praevalide in principium vitale penetrent ac operentur. Verum enimvero, quod spe & expectatione harum virtutum arcanarum ruspatores deludantur, eventus & usus, efficacissimus, omnium rerum magister in dies comprobatur. Medicus vero summum arcanum, imo arcanorum arcanissimum rectam morbos curandi legem ac methodum rationalem, quae in cognitione morbi & eius causae & remediorum, quoad proprietates & vires, notitia, nec non in prudentia naturae ductum & motum sequendi, consistit, aestimat: & prout opus est, vel medicina Galenica languidiori vel valenti chymica ad propulsandam morbi materiam utitur. Et quia perspicit, longe multumque dissidentes esse unius morbi causas & corpora mirum variare; hinc inscitiae ducit quod unum medicamentum certo morbo vel pluribus tollendis habeatur sufficiens. Neque sciens & sapiens medicus facile inhiat arcanis compositionibus, multo minus magno pretio eas

cas coëmit vel juramento silentii se obstringit, quia ipse pro lubitu, cum ex manifestioribus causis & longo usu auxiliorum noticia ipsi perspecta est, optimas, si opus est, compositiones invenire atque excogitare potest.

§. XVI.

Porro bonus & præstans medicus omni ratione & modo cavet, ne medicina sua ægrotis noceat. Uti enim optimi oratoris & prudentis est, omni ratione prodesse reo, imprudentis vero & prævaricatoris causa nocere, quemadmodum scribit Antonius apud Marcum Tullium: ita circumspecti est medici, omni ratione ægrum juvare & saltem non nocere. *Imperiti vero, ut scribit Hippocrates Libr. I. epid. Sect. II. nimis multa moliendo, morbos augent & non profligant aut retundunt.* Et certe plus non raro periculi à perversis remediis ægris imminet, quam ab ipso morbo, quare *Crato in Conf. III. Scholzi* hunc in modum conqueritur. *Sunt, qui, cum in imperitos Medicos incidunt, importunis atque intempestivis medicationibus graviter adfigantur, siquidem pharmaca exhibita plus damni illis adferunt, quam ex morbo esse poterat, cujus causa medicamentum institutum fuit.* Et homines nonnulli in quadam persuasione perfectæ & integræ sanitatis consequendæ corpus perpetuo medicamentis vexant; naturam vera non quadam diligentia adjuvant. Et profecto incredibilis est noxa, quam medici minus periti in morborum curatione ægrotis inferunt, & quidem præter omnem opinionem & voluntatem suam, ob nullam aliam rationem, quam quod salutarem remediorum usum à perniciali abusu non recte distinguere sciunt.

Medi-

Medicamenta enim in se non nocent, sed tum demum, quando non recte usurpata fuerunt. Si quis vero non sufficienter prius cognito morbo ejusque causa, vel ægrotantis indole, perspecta nec naturæ ductu, aut justo ad agendum tempore, observato in propinandis remediis, inprimis validioribus, promptus est ac facilis, is quoque quam maxime erit proclivis ad nocendum. Jam vero medicina non nocendi, sed juvandi est scientia.

### §. XVII.

Prudens & peritus medicus rarò violenter & cum vehementia procedit & curas suscipit; sed benigna, leniora & secura maxime amat, æstimat & amplectitur: practicus vero scientiæ præsumptione, qua nihil est ambitiosius, elatus, temerarius plerumque est & violentis ac infecuris naturæ quasi imperare & morbos depellere contendit. Per infecura, quæ mali moris medicis lapis offensionis sunt, non indigitamus ea, quæ in se & sua natura semper periculum vel noxam secum conjunctam habent; si enim ejusmodi essent generis, medicinæ nomen minus sustinere possent, sed, ut ex foro medico ejicerentur, necessarium foret: sed infecura ea dicimus, quæ sunt in se vehementiora vel vehementem vim demum a dispositione humorum in corpore stabulantium nanciscuntur. Cum validis autem semper, omnique tempore & occasione, cautissime agendum est ob rationem in procinctu positam. Nam si benigna & naturæ amica alimenta & medicamenta abusu nocent; multo magis id validiora, quibus magna vis est, ut *Hippocrates Lib. de locis in homine §. 55.* loquitur, statua

tum corporis transmovendi, præstabunt. Incaute igitur & temere ii agunt, qui natura debilibus fortiora admovent; quare prudenter *Cous loco cit.* ait: *medicamenta a natura fortia in debilibus morbis dare non oportet, sed fortibus natura, fortibus pharmacis utendum est, debilibus vero, pharmacis non fortibus: & fortibus morbis, fortis natura pharmaca exhibenda sunt.* Avicenna scribit: *granum prudentiæ medicæ est, ad fortes medicinas non pervenire, si debiles suffecerint.* Quanta igitur imprudentia & impudentia est, ægris a longo morbo, a diuturno animi affectu, a puerperio, vigiliis aut ingenti sanguinis profluvio enervatis, largas venæ sectiones, fortiora purgantia, emetica, & quidem brevi tempore hæc omnia & singula, administrare, teneros infantes, quorum intestina succorum acrimonia abundant, quibus abortientia, clysteres & rhabarbarina convenientia essent, purgantibus acrioribus resinosis & metallicis non semel, sed reiteratis vicibus, exercere; ex febre maligna laborantibus, nullo habito temporum nec dierum, criticorum respectu, promiscue largiores venæ sectiones, emetica, purgantia non tantum in principio sed etiam in statu adhibere & aliquoties iterare. Igitur prudens medicus, nonnisi cum cautione & summa necessitate urgente, & tantum in natura robustioribus, ut *Hippocrate* innuit, valentioribus utitur & tunc etiam maximo cum fructu ac utilitate.

## §. XVIII.

Uterius medicus perspicax & sapiens, non peculiari amore aut odio, ex quadam velut privata passione

D

one

one, vel scientiæ defectu, circa certa remedia fertur: sed singula suo tempore & loco adhibet & æstimat vel etiam rejicit aut damnat. Novimus, quanta fata habeant quædam remediorum genera: nonnulli venæsectionem in cœlum quasi attollunt, alii plane vituperant & ubivis fere dissuadent. Quidam ita delectantur anodinis & opiatīs, ut in singulis ferme morbis ea remediis admisceant, alii vero cane pejus & angue oderunt eaque etiam e foro medico ejicienda jactitant. Quot sunt, qui corticem chinæ, in curandis febribus intermittentibus, tanquam divinum auxilium extollunt, quot, qui contra eundem damnant atque noxiosissimam febrium medicinam pronuntiant? Quot sunt ex medicorum ordine, qui in desperatis chronicis morbis pervincendis thermarum, acidularum & id genus aliarum salubrium & medicatarum aquarum usum in cœlum fere evehunt, cum alii parum vel nihil efficaciam ipsis tribuant, sed qualescunque juvamen, quod adferunt, aliis concurrentibus causis adsignent. Ex marte depromptis remediis plures medicorum, in morbis fere chronicis depulsandis, frequentissime utuntur, quia ob sulphur vividum minerale, quo pollent, peculiarem fibris solidorum roborandis virtutem ipsis tribuunt. Sunt tamen non pauci, qui martialibus omnia hæc fere detrahunt, ob id, quod emunctoria adstringendo, ad morbos longos viam præparent amplissimam. Camphora, salia volatilia oleosa & olea aromatica, subtiliora balsamica, vulgo magnifice, ob roborantem, analepticam & nervinam virtutem, æstimantur, aliis contra ea exosa sunt, ut velut ni-  
mis



mis calida & vaporosa raro usurpanda vel prorsus removenda svadeant. Hæc pro dolor est medicinæ facies, hic status, qui in mera dissensione & discordia consistit, nihilominus singuli suam sententiam experientia multiplici ac ratione tueri & defendere student, pro aris & focis in utramque partem disceptando. Verum enimvero, si rem paulo altius consideremus, protinus harum discrepantium sententiarum fons atque origo animadvertitur. Videlicet omnia & singula jam memorata remedia valde activis viribus & dotibus a natura donata & ad morbos quoque pellendos efficacissima sunt, minime tamen negandum est, quin etiam nocere, & quidem validissime, possint: quod fit, si non recte usurpentur, quum alias, circumspecto usu, divinam opem ad ferre possint. Remediis itaque non noxa imputanda, sed medicis, qui ipsis non recte utuntur, & ex præjudicio præcipitantia aliis nimium tribuunt aliis nimium detrahunt. Manet itaque & constat hisce omnibus sua laus & vituperium. Videmus enim optima & saluberrima alimenta, neque minus medicamenta, tam ad juvandum quam ad nocendum, æque prompta ac parata esse. Præstantis itaque medici est, hæc omnia probe discernere & ex circumstantiarum ratione eorum damnum atque utilitatem metiri.

## §. XIX.

Ulterius nobilis & peritus medicus, in medendis maxime acutis morbis, ministerio naturæ utitur, quia hæc sæpe sola, suis viribus usa, morbos, etiam periculi plenisunos, optime sanat, quod non modo sapiens veterum

rum medicorum consensus, sed & ipsa experientia confirmat, qua scimus, plures ab acutis febribus sine medico & sine medicamentis revalescere & sæpiuscule harum curationes rectius ac ordinatius succedere, ac si artis auxilia accesserint. Pulchra sunt, quæ *Duretus Lib. de humorum purgatione* circa hanc rem pronuntiat, *Natura, inquit, diligens & conservatrix, morbos pepsino & crisi depellit. Ejus autem, convenienter omnia molientis, imitatorum seu observatorem & adiutorem fidelissimum præstare is debet, qui artis magister præstantissimus dici & esse velit.* Perpauci vero sunt ex vulgo medicorum, qui illum artificiosissimum corporis nostri mechanismum intelligunt, quo non modo ipsum in se corruptibilissimum ab omni putredine vindicatur; sed & præternaturali & nimis aucto motu, id quod interitum corpori minatur (& causa morborum est) in ipso morbo, certo ordine, tempore & loco removetur atque expellitur. Periti igitur est medici, prudenter ipsis morboris motibus, ad vitæ & sanitatis tutelam, uti, eosque salutare ab exitalibus, qui perniciem & mortem corpori intendunt, distinguere. Medicus igitur, non sine summa ratione, naturæ minister vocatur, quia eam omnibus modis adjuvare debet, nam, quando nimii & excessivi motus fuerint, eos moderari, si deficiunt, promovere debet: imperitus vero, qui naturæ leges & ordinem nescit, multa moliendo sæpe pessima ratione hunc naturæ ordinem laudatissimum intercipit & sic ægrum interimit. Spectat huc eorum nefandum consilium, qui acuta febre laborantibus largas venæ sectiones, purgationes, vomitiones, per totum fere morbi decursum, præ-

præscribunt & diebus criticis largas adhuc sanguinis missiones aut vomitum clementer administrant, quibus sicut tale specimen non ita pridem, non sine dolore, nobis videre licuit, mortem certissime promovent.

## §. XX.

Neque inter notas boni medici essentialia hoc prætereundum est, quod is paucis, parabilioribus, simplicibus, facilibus, selectis tamen & efficacibus, utatur, probe gnarus, naturam, sicuti simplicissima via & methodo plane mirabilia sua perficit opera, simplicem & facilem tenere methodum in curando, quam si recte medicus investigaverit, paucis & facilibus opus erit, quibus in medendo illam adjuvet. Quanta sanandi virtus in puræ & simplicis aquæ potu, in infusis & decoctis herbarum simplicium, in lactis usu, in potu aquarum medicatarum, in fotibus calidis, clysteribus, in lenioribus laxantibus, emollientibus, in inedia, motu ac labore corporis, aërisque mutatione delitescat, magnis & peritissimis medicis tantum notum est: vulgares vero id non capiunt, nec intelligunt, qui non nisi multas arcanas, plerumque tamen ineptas compositiones, exotica & pretiosa remedia quærunt, magnificiunt &, qua fieri potest sagacitate, aucupantur. At scientes & periti quia facile agnoscunt, naturam in medendo paucis esse contentam omnem multitudinem & varietatem remediorum, quam illustis *Verulamius* ignorantiae filiam appellat, respuunt. Vulgares vero practici in præscriptione multorum & variorum remediorum, quotiescunque lectum accedunt, officium medici & naturam medendi positam esse existimant

stimant: hinc, quando vident quod unum non juvet, statim ad alterum transeunt, cum maximo ægrotantiũ detrimento, quia copia & varietas medicamentorũ ingentes turbas & mutationes in natura corporis humani nunquam non efficit. Optandum foret, ut ad unum omnes practici aphorismum decimum nonum *Johannis Damasceni ad filium* observarent, dum ait: *Medicamenta tibi sint certa & pauca usurpanda, eaque, quibus maxime usui esse possis. Nam si volueris multa assequi, multiplici sensuum varietate eo venies, ut nulli tuto fidere possis.* Communiter quoque peccant in eo, quod nimis officiosi vel seduli sint cum in visitando tum in præscribendo. Elegans hanc in rem extat locus in *Verulamio de augmento scientiarum Lib. IV. pag. 110.* *Etsi ex opera medicorum quotidiana, quam in visendo, assidendo, præscribendo ægrotis præstant, putaret quispiam, haud segniter illos curationem persequi atque in eadem certa quasi via insistere: tamen, si quis ea, quæ præscribere & administrare solent medici, accuratius introspeciat, inveniet pleraque vacillationis & inconstantie plena & quæ ex tempore excogitantur & in mentem illis veniant, absque certo aliquo præviso curationis tramite.*

### §. XXI.

Porro præstantis ingenii atque peritiæ medicus in morbis, præsertim acutis, nihil turbulenter, nihil præcipitanter agit, sed omnia facit cum cautione, cum tempore, quod, sicuti omnium rerum difficiliorum, ita etiam morborum, qui multum periculi habent, optimum & præstantissimum est remedium. Quicumque enim medicus cunctari prudenter, expectare ac debito tempore agere

agere scit; is, ex omnium sententia, magna ratione & prudentia pollet. Nam omnis curatio morbique in melius mutatio, ut & remedii operatio, tempus requirit, quia natura nunquam amat saltum, sed per gradus omnia peragit. Minus autem peritus plerumque & violentiam & temeritatem junctam habet & curam ac naturam cogere vult multa moliendo, pessimo & funesto sæpius eventu.

## §. XXII.

Deniq; peritus medicus, præsertim in acutis, caute prognosin instituit, deque morbi eventu non præceptis judicium format: nihil enim penes vulgum æque famam atque existimationem medici lædit, quam incauta & minus certa prognosin: imperiti vero semper fere in hoc sunt præcipitantes, temerarii in prædicendis, ante tempus, iis rebus, de quibus nondum pro firmo constituendo iudicio sufficientia signa atque indicia sunt. Cunctatio itaque & hic vincat præcipitantiam & recte in usum flectas illud *Thucydidis: inscitia fiduciam, prudentia cunctationem gignit.* Spectat huc quoque pessima illa, quæ apud practicos invaluit, consuetudo, ex urinarum inspectione multa mirabilia, circa morbum ejusque eventum, pronuntiandi, cum peritus & prudens medicus imposturas has magno odio habeat. Placet mihi circa hanc rem *Montani in Conf. 130. iudicium, qui ita scribit: stulta pessimaque eorum consuetudo est, qui ex urina, tanquam ex speculo, nunquam visis iis, quorum urine sunt, non solum statum corporis sanum vel morbosum, sed etiam ætatem, sexum, graviditatem, an filia, an masculus utero geratur, se venari posse gloriantur, tantum ut homines argento emungant, & quibus decipi volupe est, eos in fraudes inducant, id quod longe abest à viro gravi atque honesto.*

## §. XXIII.

## §. XXIII.

Ceterum medicus vere intelligens & doctus principem ac præcipuam medicinæ partem, quæ in valetudinis ac vitæ tutela, inque morborum ac mortis præcautione versatur, curæ cordique habet magnoque pretio ac loco æstimat. Quid enim pretiosius, quid optabilius est vita longa ac sana? quid miserius & humanæ felicitati magis adversum, quam brevis & morbis patens? Quam pauci vero ex vulgariū practitorum numero existunt, qui valetudinariæ artis præcepta sciunt, qui exquisitam physices, rerumque externarum, quæ ad sanitatem & vitam pertinent, nempe esculentorum, potulentorum, aëris, aquarum & id genus plurimum, accuratam notitiam habent? Quam pauci sunt, qui morborum occasiones, primordia, originem atque generationem recte sciunt atque intelligunt, neque in quo mortis natura posita sit & quare homo necessario mori debeat, recte capiunt atque perspiciunt? Quam parum itaque eos idoneos esse, quod maximum medici est officium, ad morbos in hoc vel illo corpore præcavendos & vitam, ne illa abbrevietur, tuendam, haud ægre intelligitur. Morbos sanare omnes volunt, sed paucos possunt, acuti enim naturæ magis, quam artis beneficio sanescunt: longos vero & qui radices egerunt, immedicabiles relinquunt: id autem, quod in eorum potestate est, & quod facere possunt, id est, morbos à corporibus avertere, nec sciunt, nec addiscere volunt. Quanta fuerit Hippocratis & sapientissimæ omnis antiquitatis cura atque solertia in sanitate custodienda morbisque avertendis veterum ipsiusque Hippocratis monumenta demonstrant.

diætis, de victu acutorum & libri phyci de alimentis, de aëris, aquarum & locorum natura prodidit, perspicue satis declarant. Laudanda quoque in eo est Italorum, inque primis magnatum, magna in excolendis valetudinariae artis præceptis *ἀνεύθετα* ac diligentia, qua utique efficiunt, ut, in regionibus licet intemperatis, longissime vivant: at verò nostro ævo, & in nostris regionibus, divina hæc servandorum hominum ars pene exolevit, ut paucissimi medicorum hanc recte excolendam sibi commendatam habeant.

#### §. XXIV.

Restat jam, ut etiam de scientia, seu mavis arte, omnium nobilissima, chirurgica scilicet, quæ externarum partium vitiiis recte medendi præcepta tradit, quam necessaria sit medico, nostram sententiam depromamus. Complures medicorum hujus perversæ sententiæ sunt, hanc artem non sui esse fori, sed revera nesciunt, totum hominem, tam quoad partes exteriores, quam interiores, medicinæ esse objectum & harum mirificam esse consensionem, ut vitium externarum transeat etiam in internas, neque externæ salvæ ac incolumes esse possint, nisi interiores recte se habeant. Longe aliter sentiebant veteres, qui chirurgiam medico summe necessariam judicabant & ob id, qui ex Asclepiadis familia arte medica imbuendi erant, primo se debebant in chirurgia exercere: & *Hippocratis*, *Æginetæ*, *Avicennæ* & *Celsi* monumenta testantur, quanto pretio olim hæc nobilissima ars habita fuerit. Sed quam pauci sunt, qui hanc artem probe intelligunt? Illi quoque, qui eam ex professo tractant, plerumque prorsus sunt

E

igna-

ignari: ideo medici, qui chirurgorum incertitiam emendare debent, ut hanc addiscant & ratio & necessitas salutis publicæ postulat. Neque vero eam empirice, sed scientifice tractent, necesse est, itaque partium externarum, ut ossium, musculorum, nervorum, tendinum, vasorum, glandularum situm, connexionem, structuram atque usum, ex avtopsia anatomica, primo omnium tenere debent, deinde nec circuli sanguinis, nec nutritionis & conservationis corporeæ atque excretionum natura ac causæ ipsis debent esse incognitæ. Sequitur, ut variarum quoque læsionum naturam, proprietates, nec non remediorum vires & effectus physice ac mechanicè intelligant; tum operationes manuales congruis instrumentis, qua debet fieri dexteritate, administrandas nosse debent. Quibus subsidiis medicus suffultus & chirurgum postea bene instruere, & de lethalitate vulnerum firmum, rectum & constans iudicium proferre poterit. At, quam pauci sunt, qui hæc summe necessaria sciunt? hinc etiam accidit, ut, si quando ex dissectionibus cadaverum de lethalitate vulnerum iudicium proferre debeant; misere hallucinentur crassamque suam ac supinam ignorantiam in anatomicis, partes minus recte denominando, prodant.

## §. XXV.

Plura adhuc essent enumeranda, quibus valens, præstans ac bonus medicus à vulgari, medicinam faciente, licet literarum, vel etiam partis fuerit cuiusdam medicinæ non inexpertus, distingvi debeat; præsertim vero quomodo fortuna practicorum res gubernentur: sed ne prolixitas nauseam moveat, alii tempori & loco id refer-  
vamus.




mus. Placet autem hanc nostram meditationem eleganti loco *Cornarii*, quem habet in *dedicatione præfixa* *tomo II. Aetii*, concludere, ut appareat, quibus fati & viles medici & præstantes in societate humana expositi sint. Videas, alios vel *etate aut etiam longi usus auctoritate*, vel *loquacitate ac mira litigandi contentione*, apud *egros se efferre ac gesticulando obtinere*, quo *putentur*, rem ipsam & morbum optime tum *nosse*, tum *curare posse*. Quum interim alius, ad hanc rem simul adhibitus (*contingit enim infelicibus artibus aliquando decem artifices simul adhiberi*) ob *maturiore deliberationem*, vel ob *lingvæ parsimoniam*, pro illo nihil esse, nihil scire putetur: & contingit sane ita ignorantem temeritatem à vulgo probari, ditari ac in honore esse, maxime cum fortuna etiam hujusmodi hominibus favore conspicitur, sicut evenisse, vel casu vel confidentia ægri in medicum, compertum est, ut aliquando æger convalescat. Sannat enim plures, inquit Hippocrates, in quem plures confidunt: contra vero illum, quem ratio & prudentia cunctantiorum ad rectum rerum judicium facit, nihil fieri atque etiam irrideri.

§. XXVI.

Ultimo loco communi illi calumniæ, in qua non modo vulgus, sed & quidam ex doctis deprehenduntur, bonum theoreticum esse malum practicum, breviter strictimque respondendum esse arbitror. Equidem verisimum, plures medicorum, ex suis hypothesebus, speculationibus, maxima ex parte fictitiis, rerum medicarum & naturalium causas, æstimantes pro doctis medicis & theoreticis habitos, male rem in praxi administrare; hinc utique inter præstantem & vera theoriam in-

stru-

fructum, & inter eum qui minus solidis & rerum naturæ convenientibus theoriis instructus est, distinguendum fuerit. Veræ autem theoriæ id signum puto, si quis principia ea habeat, quæ historiis morborum accommodata sunt: & quæ causis morborum applicari possint: porro quæ, cur hæc vel illa in hoc morbo profint, in altero noceant, ob oculos clare ponit, remediorum usum & abusum sedulo discernit, aliorum minus securam curandi viam per quam facile perspicit, neque minus apta remedia medendique viam tutissimam, pro differentia circumstantiarum, invenit. Quibus omnibus ille, qui non perspicuis, aut rebus medicis explicandis minus convenientibus principiis ratiocinandi instructus est, prorsus destituitur. Et hinc utique valet illud axioma inversum: malum theoreticum esse malum practicum, si videlicet ex tali theoria praxin instituat, ex qua non potest non errare & noxas inferre. Datur autem hujus convicii forte alia & communior origo. Nam quum sollenne sit, quicquid est eruditorum, in certas quasi tribus, aut, ut loqui solemus, facultates dispescere; factum est, ut multi locum in ordine medicorum adipiscantur, qui tota sua vita vnicam tantum aut paucas partes, ad opus medicinæ concurrentes quidem, sed non ipsum opus conficientes, excoluerunt. Hi autem viri, quemadmodum in eo summa laude afficiendi sunt, quod ad omnium vtilitatem tantos labores, tanta assiduitate superant; ita contumelia ista omnino non sunt onerandi; nec enim ullum dubium est, quin iidem possent praxin optime etiam administrare, si id quidem voluissent, & eo omne id studium contulissent, quod in rerum naturalium exquisitam indagacionem tanta felicitate consumserunt.



Ma 1683

ULB Halle

004 582 233

3




f  
56.

Rest. / Schm

Jan. 26





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

4

Q. D. B. V.

DE

DIFFERENTIA  
MEDICI ET PRA-  
CTICI MEDICINÆ,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO CAROLO,  
BORUSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRANDEN-  
BURGICO, RELIQUA,

PRÆSIDE

FRIDERICO HOFFMANNO,  
COLLEGII MEDICI h. t. DECANO,

PRO DOCTORIS GRADU,

publice disputabit,

PHILIPP. WILHELM. WILMERDING,  
BRUNSVICENSIS.

Ad diem Aprilis, M DCC XVI.

H. L. Q. C.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.